

nos jam dudum inferos ipsos invenire potuisse, si ulli omnino essent: Gemmas, lapides, metalla, metallicos succos effodimus, latentes eorundem venas eruimus, aquis, aëri, terræ, scopulis occurrimus: at ignis flammæ quis unquam observavit? consequens ergo videtur, nulli tam diuturnum ignem undique terrarum cavernis includi posse, quin evictis tandem repagulis exiliat, vel subito quasi suffocatus pereat. Superest tandem, quod primus *Subtilitatum Autor Cardanus* cum aliis innuere videtur, ad prunas scilicet & consequenter ad cinerem refugiendum esse, cum calor diutius in angusto loco coërceri possit in prunis ac cineribus, quam ipsa flamma longè majorem eventilationem requirens. At æquè dubium hoc est, ut præcedentia: quis enim unquam prunas viventes aut cineribus etiam opertas in terræ visceribus hominum memoria repertas esse retulit? ne dicam absurdum videri negata causa proximum effectum concedere, cum prunis atque cineribus datis actualem ignem præcessisse necessum sit, quod fundamentis non contemnendis antea reprobavimus.

Opinio eorum, qui prunas aërialis caloris causam fatuunt.

Refutatio ejusdem.

Tantum est, auditores, dubitationum pelagus in hac unica controversia, quam ob causam rursus magnalia DEI miramur & operum divinorum effecta mirabilia rimamur potius, quam quod consequamur.

Quid enim aliud de vera thermarum causa respondimus, quam illud, quod ab ignorationis humanæ confessione non est alienū, nescire videlicet nos ullam, ut inquit *Julius Alexandrinus*, quemadmodū prædictarum causarum nullam sufficientem esse demonstravimus. Vel *Nasone Poetam* imitabimur, qui difficultates illas limis, quod dicitur oculis, observans de mutatione thermarum differens

Opinio propria.